



ARNVLPHVS, Carlomani filius, patruo Carolo crasso, cui curator datus fuerat (nempe nouo ac inusitato modo nepos patruo) succedit in imperio Romano anno mundi 4852. à Christo nato 890. eodem nempe anno quo Odo apud Francos regnat. Hic Normanos strenuè superat: mox in rapinas conuersus, iusta numinum ira plectitur: nam pediculari morbo cōfectus obiit, anno imperij 12. Vltimus hic è Caroli Magni profapia imperat Romæ: in eoque imperij maiestas deficit ad Germanos, quæ per centum annos apud Francos steterat: sub quorum principatu Francorum, adeò floruit, vt vetera tempora nō desideres. imperat annis duodecim. Vide Baptistam Egn. libro Romanorum principum sexto.

LVDOVICVS à Gallis & Germanis successor Arnulpho patri creatur, anno mundi 4864. à Christo nato 902. imperat annis decem in Germania & Galliis, puta Lotaringiæ. aduersus Berengarium bellum mouit, quē primò vicit: deinde Veronæ victus, luminibus priuatur. Imperat annis decem. Hic grauius prostrauit Hungaros Germaniam vastantes. Sed ab illis postea vicissim victus est, coronam accepisse nusquam legitur. Vide Chro. Imperatorum, & Carionem lib. 3.